

# DISP. XI. DE LIBERO ARBITRIO.

*Sive, de Viribus humanis.*

1. Status hujus loci est: *quales sint vires humanae post lapsum in efficienda obedientia legis.*

2. Græci vocant *ἀυτεξούσιαν, ἀυτεξουσιώτητα, ἀυτεξούσιον, τὴν ἀυτὴν ἐξούσιαν, ἐλευθέρων προαίρεσιν, τὸ ἐφ' ἡμῖν.*

3. Latini, liberum arbitrium, liberam voluntatem, arbitrium sive libertatem voluntatis, ex 1. Cor. VII. v. 37.

4. Ubi talis extat descriptio liberi arbitrii, *deliberatio in corde, sive, electio cordis, in illis rebus, in quibus voluntas habet potestatem.*

5. Est quædam *libertas nature* ante lapsum: Est etiam *libertas veritatis*, Joh. 8. 36. sive Spiritus, 2. Cor. III. 17. sive *Gratie*: Nempe in Renatis per Spiritum Sanctum, quoad mentem & voluntatem. Denique est *libertas Glorie* in vita æterna.

6. Quia Pelagius ex appellatione liberi arbitrii argumentabatur contra sanam doctrinam; D. Augustinus vocat, *Arbitrium captivatum, servum, perditum, amissum, damnabilem ancillam, contumaciam, non libertatem*: Nempe in rebus Spiritualibus. In externa autem disciplina vocat arbitrium vulneratum, saucium, claudicans. &c.

7. Et hanc ponit descriptionem: Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratiâ assistente, vel malum, eâdem desistente. Quæ opus habet dextra interpretatione.

8. Considerandum igitur, I. quas vires mens vulnerata adhuc habeat. II. Quibus viribus seu donis voluntas sit spoliata. III. In quibus adhuc sit semiviva. IV. Quid remedii & auxilii gratia Spiritus S. conferat menti. V. Quid voluntati, in renovatione. VI. In quibus voluntas non potest se accommodare ad ea, quæ à mente renata monstrantur Rom. 7. 23.

9. In Scriptoribus Ecclesiasticis notandum: *Liberum arbitrium communissimè dici ipsam mentem & voluntatem*: Et tunc affirmatur. Interdum etiam accipi pro aptitudine passiva, qua voluntas humana, præventa & adjuta à Spiritu S. potest habere